



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Quibus temporibus concionandum est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

nem superpelliceo & stola utetur.
At vero Regularis qui parochus non est,
stola & superpellicei loco, vestitum ad-
hibebit, qui ex regula prescripto in
choro ad diuinorum officiorum celebri-
tatem adhibetur.

Diaconus si quando ex facultate permis-
sa concionatur, superpelliceo etiam ute-
tur, & stola in transfertum ducta.

Si praeterea parochus, aliusve concio-
nator, in Oratorio, aut Sacello, alibiue
concionem habiturus est, ubi suggestus
nullus sit: apriorem decentioremve locum
ibi deliget, vnde concionetur.

Poterit autem idem parochus aliquan-
do, cum ita expedire viderit, concionan-
do libro euangeliorum vti: de quo libro
ipse sacra verba per clausulas & senten-
tias distincte pronuntiabit; tum ordine
agillatim explicabit.

Quibus temporibus concionandum est.

PRÆDICATIONIS munus,
nullo neque tempore, neque loco sibi
Christus Dominus praefiniuit: neque
Apostoli item, qui omni loco, omni-
tempore sacrosanctum euangelium dis-
seminarunt.

Huncque praedicandi morem sanctissimi
viri, Dominicus, Franciscus, & Vicen-
tius secuti sunt: qui vel in ipsis agris con-
ciones habuisse dicuntur.

Cum igitur vel temporibus, vel loci oppor-
tunitas tulerit, non solum in ecclesia (qui
locus praedicationis proprius est) sed
vbique, omni-que tempore sacra concio-
ne populus Dei pascendus erit.

Quamobrem Episcopus in primis obla-
ta sibi occasione, semper, & vbique gre-
gem suum verbo Dei salutaribusque do-
cumentis pascet pro munere suo pasto-
rali: cum eius & dicta & facta, quasi per-
petuam quandam praedicationem mini-
strare praebere debeant.

Omnibus autem saltem Dominicis,
& solennibus diebus festis, in Quadra-
gesimaque & Aduentu quotidie, aut sal-
tem tribus hebdomadae diebus, quemad-
modum oecumenica Synodus Tridenti-
na sanciuit, sacras scripturas, diuinamque
legem annuntiabit: & alias, quotiescun-
que id opportunè fieri posse iudicauerit.

de R. 24. c. 4.
de refor.

Idem officium praestabit in sacris qua-
tuor temporibus, scilicet anni solennita-
tibus, supplicationibus solennibus, iubi-
lei indulgentiaeue celebritatibus, in sy-
nodolibus actionibus, in omni sacrame-
torum administratione, in omni-que con-
secratione & benedictione solenni, & in
omni denique munere episcopalis fun-
ctione, quae mysterij quod agit explica-
tionem postulare videatur.

Quo in pascendi munere vsque adeo di-
ligens erit, vt si quando episcopum qui
aliunde venerit, hospitio exceperit; hanc
etiam occasionem nactus, eum eo agat,
vt concionem populo habeat: id quod
ex Clementis Pontificis & martyris co-
stitutione in concilio prouinciali quin-
to cautum est.

Parochi vero, omne quae annuarum
rurales itidem omnibus Dominicis,
& solennibus diebus festis, & in quadra-
gesima aduentuque diebus singulis, aut
bus saltem quibus episcopus iusserit, ex
Tridentina sanctione, & prouinciali de-
creto, verbo Dei populum pascant.

Cum item quatuor ieiuniorum tempo-
ra, aduentus Domini, septuagesima, &
anniuersariae Domini solennitates in-
stant; idque constitutis aliquot ante die-
bus, ad praescriptum concilij prouincia-
lis tertij.

Idem praesent, quoties sacramenta mi-
nistrabunt, idque praesertim catechismo
Romano.

Ijs etiam diebus, cum proximè sacrame-
tum Confirmationis ab Episcopo mini-
strandum erit, ac praesertim de eo sacra-
mento; quod populus ad illud religiose su-
scipiendum instructior accedat.

Id ipsum etiam agere non omittent, est
aliquae statae processiones, vel aliae sup-
plicationes ob publicam causam extra
ordinem indictae agentur.

Cum iubilium item celebratur.
Quo praeterea die vel exequias agent,
vel ad ium benedictionem, vel alterius
rei benedicendae, vel piz societatis in-
stituendae, vel cuiusvis rei agendae, quae
parochi sacerdotisve officium attingat,
munus aggredientur.

Nemo autem praeter parochum ani-
marumve curatorem, cuiuscunque ordi-
nis sit, aut quocunque loco concionetur,

Tit. de epi-
scopo. p. 10

Vt supra.

Tit. quod et
concionatur.
petr. p. 88

concionem habebit, ut à Clemète quinto Pontifice in concilio Viennensi sancitum est, qua hora episcopus in eadem vrbe, oppido, loco ve concionatur: nisi aliter is concesserit.

Nec verò etiam parochus, quando episcopus ita iusserit.

Illud enim episcopo, cui prædicationis munus præcipue incumbit, tribui equissimum est.

Proinde ceteri concionatores quibus prædicatione delegata est, id etiam nõ est cur ægrè ferant, si in quadragesima, Adventu Domini, aliove tempore, certos aliquos dies potissimum episcopus aliquando delingat, quibus in ecclesia cathedrali, aliove loco vbi illi concionentur, oves sibi commissas ipsemet pabulo verbi Dei pascere aut reficere velit.

Dum concio habetur, in ecclesia vbi habetur, missa non celebretur, ne in loco quidem subterraneo, quæ confessio dicitur.

Videbit etiam concionator, ne à prandio, qua hora doctrinæ christianæ scholæ habentur, concionetur: neque item qua hora diuina officia in cathedrali ecclesia, vel parochiali celebrantur: à quibus populus abduci non debet.

Ne noctu vnquam concionem habeat: scibi verò concionem de passione Domini haberi de nocte moris est, in matutinum tempus sextæ feriæ transferat.

Materia sacre concionis vnde sumenda.

PRIMO concionator ita suam instituet concionem, ut ex doctrina constet euangelica: quæ vbiq; gentium & terrarum omni creature à Christo Domino & magistro vitæ iubetur prædicari. Ita verò cõstabit, ut ad illam ipsam præclare contexamur, alia diuine legis diuinarumq; literarum testimonia, sanctorum patrum disciplinas & exempla, sacras ecclesiæ traditiones, sanctiores interpretationes, & totius ecclesiasticæ antiquitatis cognitionem rectè appositèque ut vsu venerit, accommodet.

Euangelicæ igitur historię commemorationem nunquam omittet: ut (quod serpe fit) aliud dicendi argumentum nõ sumat; nisi vel temporis, vel celebra-

tis, vel officij quod peragitur, ratio, aliter aliquando deposcere videatur: aut opportunius aliquando censuerit alias Missæ partes tractare, ut mox infra.

Epistolæ etiam, quæ in Missa ex instituto ecclesiæ recitata est, explicationem dilucidam cum euangelij interpretatione interdum coniungat.

Ex vna & altera explicatione locos aliquot communes deligat: quibus populũ ad Dei charitatem, ad proximi dilectionem, ad vitæ christianæ instituta, ad pietatis opera atque officia inflammet. Proponet item sæpius fidelibus, quid eodie ecclesiæ Dei precetur, quidq; potissimum oret.

Quamobrem aliquando preces seu orationes, quæ collectæ nominantur, præsertim quæ primo loco ponuntur, fidelibus accuratè pieq; exponet.

Sacrificij etiam Missæ, diuinorumq; officiorum, & anniuersariarum solennitatum, ac tēporum mysteria auditoribus diligenter explanabit: ut ritè rectèq; instructi, ecclesiæ filij à matre in tantumysteriorum celebritate nõ modò operibus non discordent, sed ad omnem religiosum, eorum quæ sanctè aguntur eultum, ardentius inflammentur: atque adeo vberiore spiritalem fructum ex rebus diuinis capiant.

Instituta præterea ecclesiæ, sanctaq; consuetudines, ut occasio tulerit, docebit. Sancti cuius dies festus agitur, vitam vere grauiusq; conscriptam, patrum iudicio comprobata, ut infra præscribitur, commemorare non omittet, aliqua delectu exemplorum, quibus animos conformet in omnes bene sancteq; age ad partes.

Digredietur interdum, ut & occasio, & argumenti ratio feret, ad symboli, orationis dominicæ, salutationis angelicæ, decem præceptorum, & sacramentorum explicationem.

In omni porò materia, genere concionis tractationisve, hæc cauebit ut mox infra.

Ne à veteri vulgataq; Bibliorũ editione perpetuo sancte ecclesiæ vsu comprobata, pro ferendis diuinarum literarum sententijs discedat, sed illa pro authentica habeat, ut decreto Tridentino cauetur. vsu sac. libr.

Ad

Sess. 4. de ex. de edit. & vsu sac. libr.